

mini licere se conservare illas violando. Et frustraneum ac ridiculum faciunt illimitatum illud jus Hobbianum, quo nunquam licebit uti, nisi cum arbitrium cujusvis cum sententia Legis congruat, adeoque limitatum fuerit.

Verum quorsum ego jus hoc quidlibet in omnes agendi frustraneum esse probare satago? si quidem ipse Hobbius, sibi licet hinc contradictorius tantundem penè dixerit: agnoscit enim, *Lib. de Civ. cap. 1. §. 11. Jus hoc inutile esse.* Ipse ille qui verbis hunc articulum immediatè præcedentibus concluderat, *Mensuram Juris esse Utilitatem*, hinc tamen jus illud quod tantopere stabilire sudaverat, statim *inutile esse*, pronunciat. Immò verò, ipsa illa verba *Jus* (quale illud ipse definivit) & *inutile* (quod juri in articuli margine conjunxit) sunt *à se separata*. *Jus* enim ad *Libertatis usum* in utraque ejus definitione refertur; *inutile* autem nullum esse usum libertatis in eadem materia docet. Recta interim Ratio non solet contradictorias hujusmodi notiones componere, nec adeò futuri est improvida, ut illud bellum ad conservationem uniuscujusque necessarium esse statuatur, quod statim videbit omnibus esse perniciosum. Hobbii itaque ratio quâ sua hæc dogmata stabilire conatur, non est recta.

## CAPUT II.

*De Naturâ Humanâ, & rectâ  
Ratione.*

**H**ominis nomine Animal intelligimus mente præditum; & ipse Hobbius mentem alteram è præ-